


in solatium tantæ cladis, florentissimo Filiarum Pari super-  
 stite. Neque parvum justissimo luctui lenimentum at-  
 tulit nati maximæ, URSULÆ MARIÆ, auspiciatissimum  
 conjugium. Quâ sicut Generosum Strenuumque Virum,  
 GEORGIUM FRIDERICUM ARTZATIUM, cognomi-  
 nis, & de publico præclarissimum in modum olim meriti  
 Parentis, inter tres nobis relictos, eruditæ nobilitatis gloriâ  
 præcellentes Filios medium, exoptatissimum sibi gene-  
 rum reddidit: sic nobilissimam ejus antiquissimamque  
 prosapiam arcto Affinitatis vinculo suæ conjunxit, in Natis  
 & Nepotibus indissolubili Consanguinitatis nexu, pari lau-  
 de, neque discordi Virtutum æmulatione, posteris sæcu-  
 lis transmittendam. Ita nuper firmavit stemma suum, ali-  
 quot abhinc annis infirmior ipse CROMAYERUS: itaque,  
 cum hic sæpius redeuntis morbi contumaciâ, nullis Medi-  
 corum consiliis superabili, extremum vitæ spiritum edi-  
 dit, non simul illud exspiravit, etiam fraterno sanguine  
 in fulcimentum adhuc calente. At inprimis ex CRO-  
 MAYERI excessu luctum mitigat, quod tantas generi  
 suo ademptus vertex, de se, quamvis non virilem, tamen  
 foemineam, eamque geminam, alteram quidem nuptam,  
 alteram verò nubilem, reliquerit prolem, unde virilem  
 ætas nostra expectet, sed etiam exoptet. Tolerabilior  
 venti rabies, quæ, cum fastigium præcipitat arbori, &  
 in radices & frondes permittit illæsas, ex quibus  
 in nova culmina se possit  
 extendere.



SINGULARIBUS  
 IN PATRIAM REMQUE LITERARIAM  
 MERITIS  
 CELEBERRIMO VIRO,  
**HENRICO**  
**VOLGNADIO,**  
 DOCTISSIMO FIDELISSIMOQUE  
 VRATISLAVIENSIIUM MEDICO,  
 QUEM  
 NATURÆ CURIOSORUM  
 IN SACRO ROMANO IMPERIO  
 ACADEMIA  
 COLLEGAM ET ADIUNCTUM,  
 COGNOMINE SIRIUM,  
 HABUIT:  
 ANNO M. DC. LXXXII. DIE JANUARI II.  
 SUPREMUM FATUM  
 REBUS HUMANIS EXEMIT:  
 JUSTA SOLVIT  
**MARTINUS HANKIUS.**

VRATISLAVIÆ,  
 In Officina BAUMANNIANA Typis exprimebat  
 JOHANNES GÜNTHERUS ROERERUS.  
 ANNO M. DC. LXXXVIII.





\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

**I**Ntra Decennium, quod Annus M. DC. LXXII. incepit, M. DC. LXXXII. absolvit, felix NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIA, quæ raris Observationibus, Inventisque salutaribus ROMANUM GERMANORUM IMPERIUM nobilitat, universumque Literarium Regnum ad subliorem Philosophicarum, maximè Physicarum Medicarumque Rerum Intelligentiam excitat, subinde notabiles Vicissitudines infelix obiit. Nam hoc exigui Temporis Decursu, quot quantosque Viros, & Societatis tam ingeniosæ Statores, & Peritiæ tam exquisitæ Propagatores, in præproperæ Mortis Fugam natos, Prædam Mortis præposteram vidit? Ut aliarum Provinciarum Filios Silentio transmittam: quid de SILESIIS, quid de VRATISLAVIENSIBUS memorem? In horum Numero tres amisit, quorum Solertia multis, Industria plerisque, si non præripuit, tamen dubiam fecit Palmæ Gloriam, Medicos excellentissimos, PHILIPPUM JACOBUM SACHSIUM, serenissimum PHOSPHORUM: JOACHIMUM GEORGIUM ELSNERUM, fidelissimum TELAMONEM: & quem Illustris ARGO GERMANICA novissimis Naufragii Periculis agitata perdidit, HENRICUM VOLGNADIUM, efficacissimum SIRIUM.

Omnium Eruditorum interest, ne quis, supra cæteros Literis Meritisque clarus, à posteris turpem Oblivionis Umbram Injuriamque patiatur. Nam si potioribus denegatur, ecquod mediocribus, ecquod postremis inter doctos supererit post Cineres Nomen? Certè, Juris naturalis est, tum quemque, pro suis in Publicum Studiis, aliquid à Publico reportare Bonum, tum in primis eos, qui per singulares in humanam Communitatem Actiones vulgarem benefaciendi Modum longè transcenderunt, & quod in præsentia, simul in futura contulerunt, prosequi Præmiis, non fugitivis, sed manentibus. Iis autem, qui, cum desierunt esse, non desierunt prodesse, quid, cum jacent, in Gratiam referendam præstare possumus, nisi Memoria Continuationem, quâ semper velut erigantur & re-



& reviviscant? Accedit, quod plures, hodiernò Temporum Genio ductos, ad Imitationem invitet in Exemplis magnis, non tam prævius Laboris Fervor, quam Honor Virtutis postumus. Quò magis iniquum est, ut quisquam Sæculi, quod coluit & ornavit, primum Oculis, post Animis quoque paulatim ereptus, tandem sublati omnibus, quos Præstantiæ suæ commodos Indices habebat, bis moriatur.

Exoptatissimos Actorum Scriptorumque suorum Præcones invenerunt, SACHSIUS quidem JOHANNEM DANIELEM MAJOREM, celebrem Kiloniensium in Holsatia Professore, Ingenii fecundi, promptissimi que Styli Polyhistorum: ELSNERUS autem ADAMUM EZLERUM, illum Oris suavissimi doctissimi que Chrysostomum Breslicum. Hactenus, à quò Justa consequeretur, expectavit noster VOLGNADIUS: non, quod careret idoneis Æstimatoribus, sed, quod hanc Parentationis Personam diuturnior eorum Consensus, à quibus feliciore prouioreque Successu geri potuisset, ob singularem cum Defuncto Familiaritatem, à teneris ad extremum Vitæ Momentum continuatam, Humeris meis imponendam reservaverit. Proinde simul optimo, simul eruditissimo Viro, ne Manus omnis in Commendationem promeritam longius desit, accommodare Calamum ipsa me tandem jubet Necessitas. Sed Monumento, quod Beato statuere sustineo, si Lector copiosum, magnificentum, & quale summas in Laudes omnia convertit, Eloquium pollicetur, errat. Sanè, tam speciosum dicendi Genus, nec affectant nostri Mores, neque Manes inusitatioris Modestiam communem Fastum redarguentis exigunt: & parum circumspecti Laudatores arripiunt, quos vel Argumenti Sterilitas commovet, ut Verborum Abundantiam Tenuitatem Materialium extendant, vel Supercilii Temeritas provocat, ut Figurarum Luxuriam Gloriam Oratorum venentur. De Rebus Amici, non ut Amicus, sed ut Historicus, agam: in quo præcipitem Charitatis Libertatem ad Verecundiam Cancelli revocat integra Veritatis Honestas. Sapientioribus, per se laudabilia, simplici Narratione satis laudantur.

Hanc, quam amisuri nanciscimur, Vitam pauciores honorabiliter ingrediuntur, paucissimi decenter peragunt, plerique difficulter relinquunt. Itaque consummatam Hominis Felicitatem obtinuit HENRICUS VOLGNADIUS noster, in quem plena Divinæ

Gratiæ

Gratiæ Magnitudo cecidit. Nam in Terris Ætatem propensioribus Fatis inchoatam, eximiis Laboribus consumptam, Desideriis optimis finiit: Exemplo memorabili, cujus Bonitatem primam secunda, secundam tertia superavit: quam excepit, non tribus, sed omnibus Numeris perfecta Beatitudo.

BRESLAM, Silesiæ Caput, sortitus est Patriam: cui debent Ortum præcellentes Ingeniò Viri, tum alii, tum etiam Medici: quam potissimum ex his celebrem fecerunt illustres Scriptores, Antonius NIGER, Andreas AURIFABER, Carolus OSLEVIUS, Johannes CRATO, Petrus MONAVIUS, Joachimus BAUDISIUS, Laurentius SCHOLTZIUS, Lucas POLLIO, Elias BONVINIUS, Johannes Hennemannius REYSINGHIUS, Daniel BUCRETIUS, Caspar CUNRADUS, Daniel SENNERTUS, Petrus KIRSTENIUS, Michaël DOERINGIUS, Philippus Jacobus SACHSIUS, Johannes Daniel MAJOR, Paulus AMMANNUS. Ibi natus est Stirpe non tantum honesta, verum etiam nobili: seu paternos, seu maternos Generis Conditores respicias. Id VOLGNADIORUM, à quibus Noster & Spiritum, & Splendorem accepit, Natales singulariter illustrat, quod horum in Celsissimam Potentissimamque Domum Austriacam Merita RUDOLPHUS II Imperator Indulgentissimus venerabili Judicio decoraverit: Gloriosissimus Cæsar MATTHIAS, cum Annus à CHRISTO nato M. DC. XII decurreret, conspectiore Dignitatis Augmento remuneranda censuerit. Habuit Proavum JOHANNEM, Avum JOHANNEM, Patrem PHILIPPUM VOLGNADIUM: Matrem CATHARINAM, Sebaldi LAURERI Filiam. Ad horum Decus maxime stabiliendum facit ea Virtus, quæ Principum Civiumque bonorum Virtutes omnes complectitur, solida Pietas, quò rarior, eò major: ideo summa, quod Deo, Deumque colentibus pretiosissima judicetur. Hæc VOLGNADIIS, per Temporum, quibus vixerunt, incorruptum Candorem, tum alibi, tum in primis Vratislaviæ, quam spectatissimis Familiis suis auctiorem honoratioremque reddiderunt, tam insignem, tam durabilem excitavit Famam, ut, non ex privatis tantum Indiciis, etiam è Documentis publicis agnita, sinceros Cultores in Admirationem convertere nondum desinat. Tam egregii Sangvinis, tam ingenui Moris, per quem solum vetus Integritatis Germanicæ Laus & retinetur, & extenditur, novum Propagatorem nostrum in primam Lucis Usuram

B

edebat,



cedebat, post recuperatam humani Generis Salutem, Annus M. DC. XXXIV, postridie Nonas Maji.

Sed quid Originis Felicitas ad Educationis Salubritatem, ex quâ totius Ævi dependet Prosperitas? Ecquis enim Sæculi peritus ignorat, multos, ex amplissimis æstimationisque Prosapiis genitos, à Vestigiis Majorum Consanguineorumque suorum præviis longè digressos, Gentilitiis Ornamentis adeo nihil addere Fulgoris, ut potius tantò plus Nitoris auferant, quanto magis, cum in Adolescentiæ nobilissimam Formam componendi sunt, aut noxiis, aut vanis Oblectamentis Animos devovent. Qui, dum optimo Regimini, quod incautam Juventutem per Rationes prudentissimas in faciendis fugiendisque salutariter disponere laborat, audacissimum in Modum repugnant: neminem mirari subeat, si luxuriantibus Affectibus, Magistris pessimis, obsecuti, Cogitationes neque priores in Temeritatem revocari, neque posteriores in Emendationem erigi patiantur. Quamobrem VOLGNADIUS noster habuit, quod simul justis aliorum Imperiis, simul promptis Obsequiis suis acceptum referret. Actionum suarum Moderatores, & pios, & doctos, & cordatos, magnò Salutis Incrementò, fuit adeptus. Domi Patrem, & Patrum Augustum VOLGNADIUM, Exempla Virtutum pulcherrima, continenter intuebatur. His enim, quos antiquæ Consuetudinis Existimationisque retinentissimos avitus Genius efficiebat, tum Experientiam Maturitas Senectutis perficiebat. Publicè Doctores in Elisabetano Patriæ Gymnasio fideliter audiebat: quorum Præceptis Monitisque non ferreus, sed cereus ad ea, quæ Fundamenti Literarum Morumque firmiter decenterque formandis servient, se non trahi, sed duci permittebat. Quò Pactò fiebat, ut per Lingvas & Artes Ingenio Sapientiæ studioso necessarias feliciter progressus ad majores Disciplinas Scientiasque complectendas, cum in supremum Auditorium ascendisset, consequeretur Duces, ad eruditam beatamque Vitam exercitatisimos, Johannem GEBHARDUM, Johannem FECHNERUM, Christophorum COLERUM, & Eliam MAJOREM, in Rem literariam civilemque magnis multisque Meritis clarissimos Viros. His præter accuratam Romani Græciq; Sermonis Notitiam, plurimis, iisque selectissimis Antiquitatibus refertam, illas Humanitatis Delicias, Oratoriam Dictionis Vim, Elegantiæque Compositionis Poëticam debebat: debebat etiam

etiam potiores Philosophiæ Partes, in quibus Rerum naturalium Cognitionem, Scopo Studiorum Academico præ cæteris applicabilem, Conatu majore diligebat. Neque posthabebat sacra Theologiæ Christianæ Capita: quæ sibi, quantum plebejo sufficit, familiaria reddidisse, non satis habebat: ideoque suis è Principiis non tantum ad pleniorum approbantium Intelligentiam demonstrata, sed etiam ab ingeniosis dissentientium Erroribus vindicata, sollicitus avidusque nunquam non capiebat. Tantum aberat, ut immaturum importunumque Juventutis temerariæ Judicium secutus, collectis Doctrinarum quibusdam Fragmentis contentus, aut etiam elatus, non satis componeret expoliretque semel arrepta, vel multò perversior, Sapientiam cælestem fastidiret: quam supra Vulgus discere, non Medicorum, non Jctorum, non Politicorum, non aliorum, nisi Theologorum futurorum esse, protervior an imprudentior dicam, Adolescentia somniat. Cæterum, ita se Profesforibus omnibus probabat, ut Commilitonibus ob Industriam constantem anteponerent plurimis, ob peculiarem Modestiam optimis annumerarent. Accedebant in Suscitamentum per se fortiter ad præfixam Metam procurrentis Sodales meliores, quos Spatiis Profectuum conspectioribus se partim antegredi, partim subsequi deprehendebat: illos, si non vincere, tamen æquare contendens: hos, nisi paris Æmulationis cupidos, longius à Tergo relicturus. Etenim haud paucos, ex iisdem Diligentiae Sociis, in eodem Lyceo florentibus, cum quibus tum Cogitationes Curasque literarias miscbat, post etiam in subtilioribus Physicarum Medicarumque Rerum & Meditationibus, & Experimentis, aut Præcursores, aut Imitatores habuit. Inter quos Galenis suis adscripsit intra Silesiam Vratislavia Fridericum ORTLOBIUM, Sebaldum SCHOLTZIUM, Johannem Cornelium WEBERUM, Johannem JÆNISIIUM: Lignicum Israëlem VOLCKMANNUM: Olsna Christianum AGRICOLAM: Strela Johannem LIBETANTZIUM: in Holsatia Kilonium Johannem Danielem MAJOREM, Hamburgum Michaelem DOERINGIUM. Ex his maximè Johannem Danielem MAJOREM, ex cæteris Theodorum JACOBI, Johannemque DOERINGIUM, quos egregiis Provinciis suscipiendis Jurisprudentia fecit habiles, Indoli suæ consimillimos, in singulare Consortium, id est, Eruditionis & Virtutis quotidianum Exercitium assumebat. De quorum Amicitia



citiâ sincerâ perpetuâque, non pauciores Utilitates, quam Jucunditates complexâ, me parcius loqui decet, ne, quicquid ad selectissimorum Familiarium Conjunctionem, cujus Pars fui, pertinet, si laudavero, simul in meum Decus addidisse videar. Hac Lege fiebat, ut â teneris ad recta flecti facillimus, Ætatem primam & compositis Moribus, & Literis præclaris exornaret.

Satis Laboribus Academicis præpatatus, Lipsiense tam Emporium, quam Athenæum celebre, nobilissimas sibi Merces Conatibus indefessis emturus, Anno M. DC. LV, sextô Calendas Majas, intrabat. Ibi Tempora sic disponebat, ut primum ea, quibus in Gymnasiô patriô Mentem applicuerat, destinatis Horis repeteret, Accessionibusque crebris amplissima redderet; itaque fideliter & augetet, & acueret Instrumenta Peritiæ, cui se potissimum erat consecraturus: deinde, quicquid ad capiendam Artis Medicæ Notitiam consummatiore inter Initia requiritur, intentiore Curâ peruestigaret. Hunc in Finem sæpius audiebat excellentes Humanitatis, Sapientiæ Prudentiæque Profesores, Andreæ RIVINUM, Johannem ITTIGIUM, Gothofredum SLUTERUM, Fridericum RAPPOLTUM, Christianum Fridericum FRANCKENSTEINIUM, Jacobum THOMASIUM, Johannem KUHNIIUM, Johannem Sigismundum SCHWENCKIUM: quorum Cathedris, præter Elegantiam Sermonis, non tantum Copiam Ingenii plenior, sed etiam Acumen Judicii subtilius in acceptis referebat. Tum cœteris, tum maximè Corporum naturalium Contemplationibus, quantum satis, immoratus: ad ipsam demum accedebat Medicinam: cujus Partes Ordine, quô decet, tractabat, circumspectos exercitatosque Monitores secutus. Totius Hominis Structuram, in Membris etiam tenuissimis, perspectam excipiebant ea, quibus retineri solet Incolumitas, seu per Alimenta Vires instauremus consumptas, seu per Motum Torpori Putredinem subtrahamus imminuentem, seu per Quietem Defatigationi Pausam indulgeamus necessariam. Ab his ad innumerabiles Morborum Formas digrediebatur, qui naturalem Valetudinis Statum, & in Partibus, & in Universitate minoris hujus Mundi, cujus Gratiâ Mundus ille magnus est excitatus, innuere vel destruere consueverunt. Hinc in ampliora Spatia procedebat, ubi reperitur, quicquid providentissimus benignissimusque Conditor Mortalibus in Vitæ prorogandæ Subsidium prodixit.

Ibi

Ibi verô, quemadmodum Natura dives in tribus, iisque maximis Fossilium, Vegetabilium, Animaliumque Regnis Thesauros incredibiles nobis exhibet, quos nemo perscrutatus, nemo perscrutaturus est omnes: sic Speculator noster insatiabili Cupiditate, quam Subtilitas admirabilis comitabatur, hætenus adauctos Animi Nervos non tam in obvia, quam in occulta Rerum creaturarum Miracula penitus intuenda convertebat. In his occupandâ Cognitionis salutaris supra discentium Vulgus Incrementis, ad Exemplum & in Auxilium sibi commendatissimos habebat insignes stabiliendæ revocandæque Sanitatis Doctores, quorum Artibus eo Tempore Lipsia præcellentes Tirones Medicos elaborabat, Johannem MICHAELIS, Gothofredum WELSCHIUM, Johannem HOPPIUM, Christianum LANGIUM, Polycarpum HEILANDUM, Arnoldum MENERINGIUM. Per hos & alios jam sibi comparatis parum contentus, quô plures impetraverat, eo plures appetebat Scientiarum Opes, semper avarior.

Notaverat, ex præstantissimis præstantissima non posse, nisi per Artificium, cui potissimum & Ignis & Liquor servit, extrahi, componi, permutarique feliciter, ut Ægrimoniis Abitum tempestivum accelerent, atque laborantibus opportunô Levamentô succurrant. Id etiam intelligebat, non Cathedrarium Auditoribus, sed Practicum Spectatoribus Hippocratem daturus, acquisitam Medicinalis Eruditionis Copiam, nisi, per multiplicem Usus, distinctiores Notitias, turioresque Curas produceret, majores afferre Possessoribus Delectationes, quam Amatoribus Utilitates. Quamobrem, utrumque profecturus Institutum, transactô Lipsiæ Quinquenniô, sub Anni M. DC. LIX. Terminum, inveniebat exoptatum alibi Magistrum, qui Perfectionem ampliorem affectantis, simul in Chemicis, simul in Therapeuticis, Manum Operamque dirigeret. Is erat Christophorus AUSFELDIUS, Altenburgensium experientissimus felicissimusque Poliater: in cujus Domicilium VOLGNADIUS receptus, quicquid â Patre Filius in arcanis sperare potest, id ab Hospite suo, quem Eruditione, Pietate, Svavitateque totum possidebat, obtinuit. Ab eô, mox eliciendis per Calorem Humoremque Succis, Salibus, aliisque coctorum exustorumque pretiosis Reliquiis adhibebatur: mox agrotis, servato Graduum Ordine, primum nulli, deinde modico, tandem ultimo Vitæ Periculo,

C

[quan-



[ quantum ex Causis Circumstantiisque patebat ] obnoxii ad Sublevamentum destinatus, in Consilii, Sollicitudinis, & Laboris Partem assumebatur. Hunc proficiendi constantissimum Ardorem, quem exstingvere non poterat, non nihil inhibebat supremum Philippi VOLGNADII Genitoris Fatum, quem humanis Rebus valedicere placidum piumque Senem Annus CHRISTI M. DC. LX, Ætatis LXXVIII, quartus Calendas Quintilis, juserat. Tum enim ad Suos Vratislaviam revocatus, cum à Negotiis Hæreditatem spectantibus, quò poterat, brevissimò Spatiò se liberavisset, à Silesiis ad Bohemos, ubi Res maximè Pragenfes Oculis subiciebat, transgressus, ad Misnenses Altenburgum redibat, coepta continuaturus. Ibi, quantà Solertià, quantò Successu, VOLGNADIUS in privato Studiis suis consulisset, nemo rectius ad extremum in publicò, quam AUSFELDII ipse patefaciebat: qui, cum graves mortiferasque Valetudinis Vices experiretur, & superante Fortitudinem Animi strenuam Langvore Corporis nimio, defatigatus, jam sibi deesse Medicus inciperet, VOLGNADIO Salutem suam committere nihil dubitabat. Et fiebat, ut nec AUSFELDII Fiduciæ, nec VOLGNADIUM Operæ poeniteret. Nam VOLGNADIUS quidem AUSFELDIO, quem ab Ægrimoniâ Præfidiis efficacissimis vindicans, memorabili Præmio remuneraverat, illustre Specimen in Medicum cadentium, & Profectuum maximorum, & Morum optimorum edebat: AUSFELDII autem VOLGNADIO, quem ex hoc Documunto, velut ex Ungve Leonem, agnoverat, Altenburgicæ tum Aulæ, tum Civitati, potentior in Modum commendabat, eam conciliabat Existimationem, quam meretur bonus, & tantò melior futurus, quantò pluribus Opem afferre didicit, depellendarum Ægritudinum Artifex.

Jam ea Noster assecutus erat, quæ divisa doctum, conjuncta nobilem ostendere Sanitatis Restitutorem Conservatoremque poterant: sed major aliis, quam sibi, nondum satisfecerat Desideriis suis: quibus duo restabant, cum Altenburgum relinqueret, Testimonium publicum, & longinquum Iter. Prius intendebat, non, ut eò spectabilem Eruditioni suæ Dignitatem attraheret, sed, ut Consuetudinis Legem secutus, citra Plebis Dubitationem aut Timorem, Medelis suis justam & Integritatem, & Libertatem asfereret. Urbem Witebergensem Anno M. DC. LXII, septimò Calendas Majas,

[ quò

quò Die Lipsiensem ante Brumas octo primum viderat ] ingressus, ab Academicis Collegii Medici Profesforibus, id, quod ex meritò concupiscebat, ex facili consequabatur. His enim sanandi peritissimis Doctoribus, quicquid attulerat, partim invitatus Occasione, partim Necessitate compulsus, tam luculenter exposuerat, ut eum, ordinariis Candidatorum Documentis feliciter editis cum Applausu defunctum, Decano Michaeli, Danielis Filio, SENNERTO, Conradus Victor SCHNEIDERUS, eodem Anno, XXIV Calendas Decembris, cum Medicinæ Doctorem Solennitate consveta renunciaret, licet absentem, admodum honorificis prosequeretur Elogiis.

Witebergâ sub Æstatis Exitum, eodem Anno, digressus, ubi veterem cum Johanne Daniele MAJORE Familiaritatem exoptabili Consortiò redintegraverat, in Altenburgensem Urbem, ad AUSFELDII suum revertebatur: posterius etiam, quod respiciebat, exsecuturus. Sic enim apud Animum suum statuebat: nihil intentatum, nihil inausum relinquendum, unde partis Experientiæ Copiis aliquid addi queat: cum Exteris amicam frequentemque Consuetudinem multum ad Mentis in verò confirmandas, & à falsò retrahendas facere, si, quò liberius, eò prudentius omnia peragantur: præ cæteris, in re Medica nullum inveniri doctum revera, nedum singulariter doctum, seu Collegium, seu Virum, à quò diuturnis Experimentis ad Excellentiam provectò, [ nisi domesticæ Gloriæ prorsus Invidia postponat omnem Prosperitatem communem ] peculiare quiddam non reportari possit, si pandere secreta commodò stimulo jubeatur: adeunda proinde Loca, quæ Principatum in selectiores delatationesque Corporum naturalium Investigationes sibi vindicant: earumque Roscios peregrinis Auribus Oculisque non inaniter ostentare gaudent. Quare nactus, in Viæ Societatem, Johannem LIBETANTZIUM, olim Condiscipulum, Artis convalescendi Cultorem, Honoribus, quos VOLGNADIUS jam obtinuerat, acquirendis intentum, Altenburgensibus Anno M. DC. LXXII, nono Calendas Octobris, valedicebat.

Chemnicium, Misnensium Urbem, transierat, cum Annæbergam intraret. Ibi copiosa metallicæ Naturæ Scientiâ ductus, non tantum extra Fodinas, quicquid notabile patebat, curiosis Perlustrationibus excipiebat, sed etiam Operas Machinasque Fosforum cæterorumque Ministrorum in ipsis Fodinis aspecturus, in Cuniculum omnium



omnium maximum, cuius Profunditas in ulnas MCC descendebat, non citra Periculum, [in quò Metum & Cupiditas & Spes vincebat] Audaciâ si non laudabili, tamen excusabili, submittebatur. Per Vallem Joachimicam Thermasque Carolinas concedebat Egram. Ex Bohemia per superiorem Palatinatum in Franconiam pergebat. Hinc perlustratis Norinbergenſium Antiquitatibus, Auguſtam Vin- delicorum in Suevia, Monachium in Bavaria, cum Oeniponte Tri- dentum in Tirolinenſium Terris contemplantur. Tandem, quò direxerat Iter, in decantatiſſimam Venetorum Academiam Patavi- nam, veram Medicorum quaſi Patriam, octavo calendas Novem- bris, accedebat. Inveniebat ibi Doctores eminentiſſimos, quorum Placita, cum in publicis Auditoriis, tum etiam in Colloquiis pri- vatis, acutò Judiciò perpendebat: ideoque Cogitationes crebro mi- ſcebat cum Hieronymo VERGERIO, Petro MARCHETTIO, Joanne BONARDO, maximè cum Antonio MOLINETTO, [cuius & Dexter- itatem promptam, & raram Solertiam ſingulariter admirabatur] in- telligentiffimis Rerum Medicinalium Cenſoribus: quibus per Ho- ras ſucceſſivas, in Converſationis Oblectamentum, addebat Orato- rem Historicumque ſummum, Octavium FERRARIUM, Romanas potiſſimum Literas Obſervationibus Explicationibusque luculentis eleganter illuſtrantem. Momenta præcipua, quibus Ingenium ar- rexerat, apud Patavinos aſſecutus, Anno M. DC. LXIII mediò, plu- res Italorum Urbes Aſpectui Conſiderationique ſubjiciebat. Vene- tiis, Vicentiæ, Veronæ, Mantuæ, Mediolani, quò plus notabili- um inveniebat, eò diuturniorem agebat Hoſpitem.

In Germaniam reverſus, Lindaviam Conſtantiamque Suevorum, Helvetiorum Schaffuſium & Baſileam, ubi Johannem BAUHIUM & Johannem Henricum GLÆSERUM compellavit, perlustrabat. Hinc ad Rhenum nobiliſſimas Urbes, Briſacum, Argentoratum, Spiram, Manheimium, Wormatiam, Moguntium, Coloniam in- trabat. Cum Juliacenſes, Limburgenſes, Leodiænſes, Namurcen- ſes & Hannonicas Terras peragraret: in Flandria Duacum, Tor- nacum, Inſulas, Ipras, Dixmudam, Neoportum, Dunkerkam, Oſtendam, Brugam: in Brabantia Gandavum, Bruxellas, Lova- nium, [ubi Vopiſco Fortunato PLEMPIO, celeberrimo Medico, ſe commendabat] Machliniam, Antverpiam: in Zelandia Flisſin- gam & Middelburgum adibat. Vix attigerat Batavorum Oras,

cum

cum Occaſionis Opportunitatem, quam Graveſandum offerebat, arripiendam ratus, in Angliam Ventis ſecundis trajiceret. Ibi to- tius Regni Caput, pulcherrimumque Compendium, Londinum, in Comoda ſua convertebat, non tantum antiquiſſimorum rariſ- ſimorumque Monumentorum Spectator, ſed etiam Rerum natura- lium artificialiumque Scrutator, in primis curioſiſſimorum ſubti- liſſimorumque Medicorum Saluator: quorum Comitatu retulit ac- ceptum, quicquid in Solennitate ſacrâ conſpexerat, cum Potentiſ- ſimus Britannorum Rex, CAROLUS II, multorum ſanandorum Ge- nas Dexterâ tangeret, CXX ſanatorum Collis niveum Filum ſeri- cum, ex quo Nummus aureus pendebat, applicaret: poſteaque Con- vivio, cui JACOBUS II, hodie CAROLI II. Fratris, in Paternis Regnis Succesor, aderat, deſungeretur.

Perquiſitis in eadem magnâ Peninſula nobilioribus Civitati- bus aliis, in Belgium redux, Lugdunum Batavorum ingrediebatur, Quietem Corpori juſtam, novam Delectationem Animo daturus. Hoc enim Loco, quem Academia doctiſſima nobilem facit, inci- debat in Medicos excellentiſſimos, Johannem Antonidem LINDA- NUM & Franciſcum BOÆUM Sylviu: quibus in Noſocomio pu- blico, cum partim ſanandi Rationem in variis agrotantium Ge- neribus, partim moriendi Neceſſitatem in apertis exſtinctorum Corporibus demonſtarent, aſſiduus Comes aderat. E Cathedra Joannem HORNIUM, Adolphum VORSTIUM in Horto peculia- res Obſervationes proponentem audiebat. Nec, humaniorum imme- mor, quorum à teneris Amator fuerat, negligebat proſus Hiſtorias & Antiquitates, quas Antonius THYſIUS, Georgius HORNIUS, in primis Joannes Fredericus GRONOVIVS exponebant. Non igitur inde vacuus commigrabat Harlemum, Hagam Comitum, Del- phos, Roterodamum, Dordracum. Apud Amitelodamenſes Ger- ardum BLASIVM conveniebat: apud Ultrajectenſes, tum Isbran- do DIEMERBROEKIO, tum etiam Henrico REGIO ſe monſtra- bat. Hinc Daventriam Geldrorum, Groeningam Friſiorum per- veniebat.

Utique, cum Regium, tum foederatum Belgium, cuius præ- cipuas, & mutas & loquentes Bibliothecas inſpexerat, egreſſus, Hamburgi cum Petro KIRSTENIO, Medico Profeſſoreque clariſ- ſimo, ſi ſpectes Originem, Moravo; ſi cures Educationem, Sileſio,

D

dudum



dudum initam renovabat redintegrabatque Colloquiis diuturnis Amicitiam, ex eò tam constanter, tam fideliter cultam, ut nihil, nisi Mors, valeret dissolvere. Visis ad Mare Balthicum vicinis Urbibus, Lubeca Berolinum in Marchiam, & Altenburgum in Misniam tendebat. In eà VOLGNADIO statim patebat subsistendi Locus, ubi se notiores hactenus, quam domi fecerat. Sed, ut erat in Modestiam propensissimus, inverecundum arbitrabatur, inconsultà Patrià, cui potiora deberet, parta consecrare Solo peregrino. Quare Vratislaviam repetebat sub Anni M. DC. LXIV præcipitem Autumnum. Ibi vero tam Suis exoptatus, tam charus aliis erat, ut apud eos Sedem figendi Propositum denique firmissimum caperet: à quò se per Misnensis nec Urbis, nec Aulæ, quamvis sponte suà Provincias insignes offerentium blandam Sollicitudinem dimoveri patiebatur.

Tum ad Metam Oculo Sapientiæ directò, quicquid hactenus & Doctrinarum & Experimentorum collegerat, vel nullum, vel exiguum, nisi commune fieret, Bonum esse ratus: expetitur seu confirmandæ, seu reparandæ Valetudinis Consilium nemini denegabat: ægrotantiumque, sicut Corporibus Peritià Providentiæque iustissimà, sic Mentibus Comitatus Facilitateque suavissima consulebat. Hoc Pacto fiebat, ut subinde plures morbidorum clinicorumque prostratas Spes, quas erigere, quas implere posset, in se converteret, Annorumque paucorum Spatiis eò Famæ progrediretur, ut Artificibus medendi potioribus adscriberetur.

At uni Civitati servire, parum habebat. Ideo maiorem crescentis Eruditionis Utilitatem in universam, non Silesiam, sed Germaniam, quin Europam, extendere conabatur. His Cogitationibus, non Animum subito transvolantibus, sed eidem firmiter impressis, ad altiora semper ascendentibus, semper ad ampliora procurrentibus, Viam monstrabat Dux egregius, consimili Scopò delectatus, Jacobus Philippus SACHSIUS, Vratislaviensium Poliater, in præcellentissimis doctus, circumspectus, ingenuus: ipse jam inter hos receptus, à quibus nequaquam vulgaria Sæculum expectabat.

Nam, post instauratam in Imperio Romano Pacem, quam tricenis Annis Bellum interruperat, intra Germaniam, in Francorum Terris, apud Suinfurtanos, Anno M. DC. LII, sub Expeditionis Argonauticæ Titulo, privatis Auspiciis excitata, Suffragiis publicis

intentata Societas, Ingeniis Naturæ curiosis opportuna, cum sub Initium [quod maximis etiam Rebus parvum esse consuevit] Asceclas teneret paucissimos, in Augmentum suum Viros invitabat, qui supra cæteros eminebant. Collegis proinde suis, Anno M. DC. LVIII, SACHSIUM, magnà selectioris Scientiæ, tum Varietate, tum Elegantia spectatissimum, addebat: cui Locum inter Adjunctos Præsidi proximos honorabilem assignabat, splendidumque PHOSPHORI Cognomentum inter Naturæ Curiosos imponebat. Is, cum Annus M. DC. LV Inventorem Antistitemque Societatis hujus primum, Johannem Laurentium BAUSCHIUM, Suinfurtensem, Patriæ Physicum, ARGONAUTARUM JASONEM, extinxisset: iisque supra Modum fatalis Annus M. DC. LXI, Gregorium HORSTIUM, Ulmensem, Patriæ Physicum: Conradum Theodorum LUNCKERUM, Marpurgensem, Patriæ Physicum: Andream WOLFIIUM, Jenensem, Smalcaldiæ Physicum: & Jonam DEUTSCHLANDERUM, Fraustadiensem, non Patriæ tantum, etiam Polonorum Regis Medicum, ex Merito celeberrimos Viros, eripuisset: ne pateretur ARGO Naufragium, Remis Velisque contendebat. Nam eodem Anno, matutinam Fulgoris sui Gratiam, ut PHOSPHORUS, in Orbe literario patefacturus, inter tot nobiles Labores, quorum nihil emiserat, primos, non Vini, sed Ingenii Copià Spirituque plenus, de Vino Lucubrationes, cordatis Æstimatoribus ad auxiliatrices ARGONAUTIS Dexterarum porrigendas, Invitamenta Vini dulciora propinabat. Et, ne quisquam à Pelagi, quem Societas intraverat, Fluctibus abhorreret, Oceanum magnum à parvo, quem Homo quisque mobilem in Venis suis experitur, nisi Mole, nihil aut parum distare, luculenter Anno M. DC. LXIV docebat. Et, ne quenquam de Præsidiis Vitæ necessariis Sollicitudo retraheret, Anno M. DC. LXV, cuius, ut prius Sitim per Vinum levaverat, sic postea per Cancros Famem solabatur. Ita cum amœnius effecisset ARGONAUTARUM GERMANICORUM per se jucundum Consortium, exquisitis & Operibus ingens, & Elogiis felix SACHSIUS, Familiarem suum, cum quò Secreta sæpe miscuerat, VOLGNADIUM nostrum, & Studiis & Moribus suis respondentem, & Publico destinatis habilem, in Naturæ Curiosorum Collegium censebat recipiendum. Id VOLGNADIUS Anno M. DC. LXIX, Præsidi Johanne Michaeli FEHRIO, Kittingano, Suinfurtensium Physico, desiderabilis Absynthii, quod

Lectori-



Lectoribus nihil Fellis, Mellis plurimum exhibet, Autore, cui de Notâ meliore commendatus erat, ingressus, primum COLLEGÆ, mox ADJUNCTI Personam, Cognomentumque SIRII consequebatur. Post illa PHOSPHORUS SIRIUSQUE sic conspirabant, ut in commune Bonum Radios Ope mutuâ collineantes producerent maximè salutarem Effectum.

Haftenus solitariis Collegarum Opusculis in Lucem editis laboriosa Curiosorum Societas inclaruerat. Tum ea Consilium de componendis in posterum, ad prævia vicinorum Populorum, Anglorum, Gallorum, Italorum Exempla, Germanicis Ephemeridibus approbat: in quibus Naturarum innumerabiles Dotes, admirabilia Monstra, secretas Vires, Morborum inusitatas Fornas, Medelas raras: Inventorum veteres recentesque Species, seu recipiendas, seu rejiciendas: & quicquid ad Rerum creaturarum, distinctius interiusque cognitarum, Historiam quocunque Modo pertinet, cuivis exponere liceret. Hoc multiplicis Varietatis, Delectationis, Utilitatis arduum Opus, quod singulis Annis, tanquam in Naturæ quodam novo Theatro Materias exquisitissimas, antea vel nunquam, vel perperam, vel obiter in medium prolatas, Curiosis repræsentaret inspiciendas, examinandas, dijudicandas, & Calculis seu nigris, seu candidis, quibus Ratio Pondus, non Pretium Numerus conciliet, notandas, Vratislaviensibus Silesiorum Duumviris, SACHSIO VOLGNADIOQUE colligendum, digerendum, edendumque committebatur.

Quid Naturæ Curiosorum Academia per hos Procuratores, quorum Humanitas singularis, Autoritas spectabilis, incredibilis Industria fuit, apud Italos, Hispanos, Anglos, Hungaros, Polonos, Suecos, Danos, Bohemos, non Germanos tantum, potuerit, illi cunctorum Oculis atque Judiciis expositi Codices, qui Germanorum Ephemerides audiunt, satis loquuntur. Certè, non exigui Negotii, neque vulgaris Prudentiæ fuit, ei Structuræ, cujus Moles jam in Annum XVII excurrit, solida ponere Fundamenta: quibus deinde Succesores, quicquid cuperent, commodum in Modum adjicere valerent. Quin ita Votis respondit Eventus, ut hic illa superaret. Etenim Sacrum Imperii Romani Caput, LEOPOLDUM, feliciorum AUGUSTO, TRAJANO meliorem, utriusque pronis in Literas & Literatos Affectibus Documentisque non tam Imitatorem, quam

quam Victorem, Silesiis Indulgentissimum, quem sibi Maximum Optimumque Patronum, in Naturæ Curiosorum Tutelam & Gloriam, expetebat Ephemeridum Germanicarum Annus primus, CHRISTI M. DC. LXX, adeo sentiebat propitium, ut inde novus ARGONAUTIS universis exoreretur SOL, qui progresfuris perpetuam Serenitatem, secundos Ventos, innoxium Mare spondebat. Alter harum Ephemeridum Annus, CHRISTI M. DC. LXXI, subsecuturis Annis parem Fortunam pollicitus, Operam disparem augurabatur. Tum enim & catenatis Curis, & Morbis contumacissimis jam fractus SACHSIUS, tertio Mense post, cum Annus CHRISTI M. DC. LXXII, Septimum Diem ageret, Rebus Mortalium valedicens, omnem Continuationis Laborem soli VOLGNADIO relinquebat.

Hic, quoniam tot & tantis expediendis, quæ majus Incrementum editis addere debebant, unus impar erat, in Auxilii Partem acceperat Collegas, sub Initium Johannem JENISIUM, Vratislaviensem Poliatrum, hodie Phylicum, inter Naturæ Curiosos ARCTURUM, Familiaritatis veteris, Affinitatis recentis Jure sibi conjunctissimum: ejusque postea non amplius his Laboribus, quos alii sufflaminabant, vacantis lectissimos Succesores, Breslenses Medicos, Gothofredum SCHULTZIUM, Naturæ Curiosorum ÆGINETAM Primum, & Johannem BURGUM, Eorundem MESUEN.

Sed nihilò secius, [ut erat in ea, quæ toto Pectore concupiscebat, propemodum immobilis,] quò subtilioris Roboris, cò plenioris Alacritatis, Constantiæque longioris, non modò primarias, sed etiam plurimas Res exsequebatur: itaque Sollicitudines potiores, Molestias crebriores sustinebat, invictus Hercules. Is ad publicum Bonum Accessiones provehendi Conatus privatus, quantam in perpendendis Circumspectionem, in disponendis Patientiam, in procurandis Promittitudinem requisiverit, in omnibus Moram Temporis consumserit: facilius assequi Cogitationes ingeniosæ, quam disertæ Voces eloqui possunt. Sanè difficillimum, idque satis etiam exercitato magnum Negotium erat, Literario Regno semel à Germanis destinata Monumenta fideliter colligere, sapienter æstimare, feliciter publicare: cum Viris per Europam celeberrimis, quanquam maximè supra cæteros Medicinam amantibus, aut etiam docentibus facientibusque, continuum scribendi rescribendique commercium habere.



Ne quicquam in hoc ultra Fidem, supra Verum, dixisse videar: quos singularem Propensionem VOLGNADIO nostro, Placita Collegii sui curiosa diligenter curaturo, declaravisse constat, recensebo simpliciter, quia nominare satis erit. Nam, si GERMANIAM, tum intra longinquos Imperii Romani Limites, tum in propinquis Provinciis aspicias: suâ Luce radiant, inter AUSTRIACOS, Guilielmus BECKERUS, Imperatoris Invictissimi, LEOPOLDI nostri, non tantum à Curis Medicis, sed etiam Consiliis Aulicis: Georgius Sebastianus JUNGIVS, & in Aula Cæsarea Medicus, & in Collegio Medico Viennensium Asesor, & Naturæ Curiosorum PODALIRIVS: Paulus SORBAIVS, Belga, quem ELEONORA, FERDINANDI III. CÆSARIS Vidua, Medicum Aulicum, Viennensis Academia Profesorem primum habuit: Tobias CZASCHELIUS, Lusatus, Archiater Cæsareus Leopoldinus. Inter BRUNSVICENSES: Hildesheimensis, Fridericus LACHMUNDUS: Inter FRANCOs: Johannes Michaël FEHRIUS, Suinfurtensis & Consul, & Physicus, & Naturæ Curiosorum, quorum secundus Præses fuit, ARGONAUTA: Norinbergenses Physici, Johannes Georgius VOLCKHAMMERUS, Naturæ Curiosorum HELIANTHUS, in Naturæ Curiosorum Collegio jam tertius Præses. Georgius Abrahamus MERCLINUS, Johannes SCULTETUS. Inter HELVETIOS: Johannes Jacobus WEPFERUS, Schaffhusiorum Physicus. Inter HOLSATOS: Martinus FOGELIVS, & Petrus KIRSTENIVS, Hamburgensium Profesores & Medici: Johannes Daniel MAJOR, Profesor & Medicus Kiloniensis, Naturæ Curiosorum HESPERUS: Joel LANGELOTTUS, Archiater Slesvicensis. Inter LUSATOS: Christophorus SELIGERUS, Sittaviensium Medicus. Inter MARCHICOS: Colonenses, Christianus MENTZELIVS, Octoviri Brandenburgici Consiliarius, & Archiater, Naturæ Curiosorum APOLLO: Johannes Sigismundus ELSHOLTIVS, ejusdem Octoviri Medicus: & Gothofredus Samuel POLISIUS, Profesor Physicusque Francofurtanus. Inter MISNENSES: Paulus AMMANNUS, Silesius, Academiae Lipsiensis Profesor, & Naturæ Curiosorum DRYANDER: Melchior FRIBIVS, Provincialis Haynoviensis, Mauritioburgensisque Physicus: Christianus Fridericus GARMANNUS, Chemicensium Præfecturarum Medicus, Naturæ Curiosorum POLLUX. Inter

Inter MORAVOS: Johannes Ferdinandus HERTODIVS, Ordinum Provincialis apud Olomucenses Medicus, Naturæ Curiosorum ORPHEUS. Inter PRUSSOS: Johannes SCHMIDIUS: Georgius SEGERUS, Polonorum Regis Archiater: Johannes SPECHTIUS: Medici Dantiscani: Jacobus BREYNIUS, Historiæ naturalis, & Rei potissimum herbariæ Scrutator Gedanensis: Simon SCHULTZIUS, Polonorum Regis Archiater, Thoruniensis Civitatis Physicus. Inter SAXONES: Valentinus Andreas MOELLENBROCCIUS, Hallensium Physicus, Naturæ Curiosorum PEGASUS: Ehrenfridus HAGENDORNIUS, Octoviralis Dresdensium Archiater, Naturæ Curiosorum PEGASUS Secundus. Inter SUEVOS: Augustani Poliatri, Lucas SCHROECKIVS, Collegii Medici Decanus: Lucas, Lucæ Filius, SCHROECKIVS, Naturæ Curiosorum CELSUS, nunc Ephemeridum Editor: Georgius Hieronymus VELSCHIVS, Naturæ Curiosorum NESTOR: Jacobus BARNERUS. Inter THURINGOS: Daniel LUDOVICI, Saxonicus Archiater Gothanus: Georgius Wolfgangus WEDELIUS, Jenensis Academiae Profesor, Naturæ Curiosorum HERCULES. Inter WESTPHALOS, Christianus Franciscus PAULLINUS, Comes Palatinus Cæsareus, Monasteriensium Episcopalis Historiographus, Corbejensium Medicus, Naturæ Curiosorum ARION. Inter WETTERAVICOS: Johannes Jacobus WALDSCHMIDIUS, Hanoviensium Medicus. Inter WURTEMBERGICOS: Salomon REISELIUS, Silesius, Studgardiensis Archiater, Naturæ Curiosorum AMPHION.

Quod si respicias Exteros: non minus Ingeniis, Doctrinis & Honoribus splendori Medicinæ salubris Statores, VOLGNADIANI Fautores fuerunt. Inter ITALOS, Daniel ANGELUS, Castilioniensium, Baragacianorum, Sparvanorumque Comitum, Senatorisque Bononiensis Medicus. Inter HUNGAROS: Johannes PATERSONUS HAYNIUS, Eperiesensium Physicus: Carolus RAYGERUS, Posoniensium Poliater. Inter POLONOS: Andreas CNOEFFELIVS, Polonorum Regis Secretarius & Medicus Aulicus, Archiater Varmiensis, Consul Mariæburgensis. Inter BOHEMOS: Jacobus Johannes Wenceslaus DOBERZENSKIUS, Pragensis Academiae Profesor: Adamus Adamandus KOCHANSKIUS, S. I. Presbyter, Mathematicum ibidem Profesor: Philippus TALDUCCIUS, Architecturæ militaris per Bohemiam Supremus Præfectus: Simon Aloysius TUDECIUS, Pragensium Medicus. Intra



Intra Provinciam Patriam, quibus noster VOLGNADIUS in Pre-  
tio fuerit habitus, cui non in Silesia constat, cujus ille Famam lon-  
gè lateque diffudit? Præterquam enim, quod omnes, maximè  
communem aut Originis, aut Muneris Sedem nactus, indefesa Co-  
mitate fuit amplexus. Ex iis, ut solos enumerem Medicos, fue-  
runt inter BREGENSES, Gothofredus SCHUBARTUS: Gothofredus  
Christianus WINCKLERUS, tandem Octoviri Brandenburgici Con-  
siliarius & Medicus. Inter SUIDNICENSES: Sigismundus GRAS-  
SIUS: Inter GRUNBERGENSES, Samuel LEDELIUS: inter ipsos  
VRATISLAVIENSES, præter alios, ante laudatos, Gothofredus  
THILESIUS, Fridericus ORTLOBIUS, Physici, Franciscus Ada-  
mus KESSIUS, Sebaldus SCULTETUS, Johannes Cornelius WEBE-  
RUS, Caspar FELDNERUS, Johannes EMERICUS, Joachimus Ge-  
orgius ELSNERUS, Gothofredus SCHULTZIUS, Johannes BUR-  
GUS, Maximilianus PREUSSIUS, Johannes Christianus TRAL-  
LESIUS.

Cæteris enumerandis non sum: quos Memoria, per longio-  
res Moras pluresque Curas impedita, nobis denegavit: & vereor,  
ne quosdam ipsa Multitudo mihi subduxerit, quorum Nomina qui-  
dem non exstinxerit Oblivio, sed non suggererit Promitudo.  
Non igitur præteritos afficiet Omisio: neque concitabit recensitos  
Simplicitas, quæ justum Narratoris Officium impletura nulli Præ-  
conium adjecit debitum. Plerisque Scripta Nomen, ipsis etiam in  
Ephemeridibus Germanicis, vel admirabile, vel æstimabile red-  
diderunt: reliquis aliunde Laus publice constat. Et Lumen adde-  
re clarissimis, an non est eorum diffidere Claritudini? Per hos  
autem simul Naturæ, simul Curæ subtiliter intentos Amatores  
VOLGNADIUS multis præterea, non Germanis solum, etiam Gal-  
lis, Britannis, Suecis, Danis aliisque novas Rerum Inventio-  
nes Observationesque singulariter appetentibus, & sui fecit, & in  
eorum pervenit Notitiam.

Cæterum, quem semet omnibus demonstraverit, apprehen-  
dere, non exprimere sustineo. Nam tot satisfacere doctissimis,  
iisque dissimillimis Capitibus, cum non sit, nisi præcellentis In-  
genii, quod unum se plurimis Ingeniis accommodare potest, &  
pro Temporum Habitu, cuique suam & Honoris & Amoris Notam  
formare didicit: ecquis vel ex eò non agnoscat VOLGNADIANAM

& So-

& Solertiam & Prudentiam? Inde fiebat, ut apud omnes ingen-  
tem & iniret Gratiam, & acquireret Existimationem: cum iis verò,  
quorum Genios suo pares animadverterat, & honestam, & utilem,  
& dulcem Amicitiam contraheret: quod ab eo partim editi Codi-  
ces, partim reservatæ Literæ produnt, in quibus miræ tum acceptas,  
tum etiam redditas Humanitatis Teseras inveniri datur. Horum  
nihil ad Gloriam referebat: quam adeo non affectabat, ut potius,  
quantum poterat, vel declinaret, vel opprimeret: rectè factis, tan-  
quam optimis Bonis, intra solam Conscientiam lætus: nullum Fa-  
mæ, nullum Invidiæ Pabulum daturus.

Id VOLGNADII nostri cum tam numerosis, tam delectis In-  
geniis, per epistolare Commertium, inita Societas obtinere satis ha-  
bebat, ut ex totius Collegii, non tam Laudibus, quam Fructibus,  
Salubritatem Dulcedinemque suam ad Eruditos omnes transmitten-  
tibus, quilibet Aspecta purum innoxiumque Gaudium consequere-  
tur. Eò direxit à se publicatas plusquam mille Physicarum, Ma-  
thematicarum, Medicarumque Meditationum Delicias: quales, non  
ut GELLII Scripta, NOCTES, nec ut HESIODI Carmina, DIES:  
sed, quia MENSIBUS etiam præferendæ sunt, ANNOS vocare par  
est. Accedit VOLGNADII nostri pro Collegio, cui Nomen su-  
um adscripserat, in amplius Decus evehendo sincera FIDES, Cona-  
tus perpetuus, præsertim ille, quò Fautores in Aula Cæsarea poten-  
tes, variis Benevolentiae Nutriments allectos, non tam sibi, quam  
universæ Societati suæ propensissimos aut retinuit, aut reddidit: per  
quos AUGUSTO nostro, cum devotissimum in Modum conse-  
cratas EPHEMERIDES quotannis opportunè porrigerent, totius  
Operis Autores omnes, non tantum Procuratores, se non medio-  
criter commendaverunt. Nam utriusque Munimentum firmum,  
summum Ornamentum LEOPOLDUS Imperator Optimus Ma-  
ximus, ut est tam Literis indulgens, quam felix Armis, Præmium  
rependit Magnitudine suâ dignum, id est, Illustrissimum. NA-  
TURÆ CURIOSORUM ACADEMIAM Universam & confirmavit &  
condecoravit: cujus & Autoritati Suam, hoc est, Publicam addi-  
dit: & Legibus subscripsit: & Titulo, qui SACRUM ROMANUM  
IMPERIUM præ se fert, annuit Anno M. DC. LXXVII: postquam,  
ex ipsis EPHEMERIDUM EDITORIBUS, nostrum VOLGNADIUM  
& Johannem JÆNISIIUM, in Cæsareæ Liberalitatis & Humanitatis

F

pecu.



peculiare Documentum, aureâ simul Torque, simul Imagine suâ, clementissimum in Modum, Anno M. DC. LXXV, statuerat honorandos.

Nimirum VOLGNADIUS noster, ut erat æstimatesimi SACHSI, neque Successor degener, neque dispar Imitator: ita non tantum ex Augusto Palatio, sed ab omnibus Locis, ubi Cultores eruditæ pariter & curiosæ Diligentia solertiores inveniuntur, consimilem Favorem aut reportavit, aut promeruit. Non equidem in Vita concordēs, post Mortem, tanquam discordēs, committam Viros excellentes: in iis tamen, quorum & Integritatis, & Sedulitatis, & Sagacitatis Convenientiam agnosco, quandam Inæqualitatem reperio: quæ subtiliorem Judicem dubium facere possit, utri gravius Meritorum Pondus attribuere debeat. SACHSIUS omnium primam, VOLGNADIUS magis diuturnam Opusculis Collegii sui proferendis Operam impendit: quorum ille quidem duos, hic autem octo publicavit Annos: quasi de clarissimo Decennio feliciter implendo Pactum in Conditiones dissimiles rotundum iniissent: PHOSPHORUS audentior, SIRIUS ardentior Conatu: quia PHOSPHORUS Noctem ordinariâ, SIRIUS & ordinariâ Noctem, & Diem extraordinariâ Luce collustrat. De cætero SIRIUS noster quemadmodum Splendorem suum, quando cum PHOSPHORI nostri Lumine contendere patitur, adeo non imminuit, ut potius vel adæquet, vel adaugeat: sic, quod Radios suos nec altius emisit, nec latius diffuderit, id neque Facultati, neque Voluntati, sed Necessitati, quæ Mortales alios citius, alios tardius manet, imputandum. Erat revera, quò Naturæ Curiosum Societas censeretur cupit, NUNQUAM OTIOSUS: ideoque SIRIO semper moveri solito par, eoque non nunquam aliis, nunquam sibi, nocente melior: quod, aliis serviendo, seipsum consumeret. Quanquam verò semper, quod ageret, non quærebat, sed accipiebat, operosissimus: tamen, in plura distractus, quæ conceperat, se Judice, quin propemodum Accusatore [Vitam brevem Arti longæ non respondere conquestus] non tantum præstare poterat, quantum cupiebat. Sanè VOLGNADIUS, [quod Arcanorum, in quibus occupabatur, conscius Fide bona testor] eas, præsertim in Chemicis, Res moliebatur, quas si per catenatas Expeditiones alias, ipsamque tandem sinistram Valetudinem, tam celeriter elaborare, quam feliciter invenire potuisset, utique

utique majora publicis Rebus Incrementa contulisset, conspectio-remque Nomini suo Claritatem circumdedit.

Aliud, idque multo sublimius Gloriæ Culmen attigit: vel ideo Viris maximis, non civili Temporum Sensu, sed cœlesti Numinis Judiciò, censendis adscribendus. Nam ita quidem est: Laudem suam meretur, & Ingenii subtilissimum Acumen, & Memoriae promptissima Tenacitas, & Scientiæ copiosissima Supellex: quibus, per se speciosis, evidentius accrescit Pretium, si communis Utilitatis Successus in Testimonium, & Famae singularis Applausus in Ornamentum accedat. Sed hæc, quanta quanta videantur esse, tamen, si destituantur uno, quod cæteris, cum adest, Gratiæ summam confert; & cum deest, summam Bonitatem adimit: hoc est, si Pietate careant: vel mediocria, vel parva, vel nulla sunt. Nam qui supra Mundum attollit Mentis Oculos, ad Unum omnia referenda videt, à quò descendunt omnia. Quod cum sola Pietas, eaque solida, quæ Christianos & decet, & beat, præstet: absit, ut citra Bonorum hanc Genitricem fecundissimam, Nutricem benignissimam, quicquam in Mortalibus magnum non judicemus. Quare nobis est, cur VOLGNADIUM, à teneris irradiatum Pietati, cui totam Vitam consecravimus, etiam iis anteponamus, quos Vulgus inter doctos, extra Pietatem, Vanitati studentes, quanquam eminentes, tantum non pro Miraculis habet. Hanc principem Virtutem, Ævi nostri cum in Terris, tum etiam in Cœlis præcipuum Decus, quod à Brutis Homines, quod à paganis Christianos maximè distinguit, quod in nobis optimum Divinitatis Simulacrum est, ita VOLGNADIUS convertebat in suum, ut simul in aliorum converteret Commodum. Nam, quod verè Sapientis est, à mutabilibus & perituris ad constantia perenniaque progredi solebat: sapiusque curiosas Cogitationes, non intra creaturarum Rerum debilem Circulum hæere passus, iis involvebat, quorum tenuem Umbram in abjectioribus, in excelsioribus elegantem Imaginem nobis repræsentat universus Naturæ Complexus. Hinc non in aliò, quam in eò, qui Desideriis humanis solus omnibus satisfacere potest, supra cæteras Bonorum Species defixus, semper firmâ tenebat Fducia, quicquid ille Potentiâ firmissimâ tenet: adeoque Possessiones manus deferendis præterens, omnia possidebat, quia possidebat omnia possidentem: quem integer Cultor publice privatimque sibi reddebat proprium. Per



Per hunc Felicitatis omnis & Autorem & Conservatorem, quamquam ter quaterque beatus, sibi tamen Numeris omnibus felix non esse videbatur, nisi DEO servire consuetus, iis etiam, quoad posset, serviret, quibus servientes ipsi DEO serviunt. Sic enim philosophabatur: quemadmodum DEUS etiam ideo felicissimus est, quod per eum sint alii felices, quicunque felices sunt: ita quemque tantò magis esse felicem, quantò magis per eum fiunt alii felices. Non igitur Facultates, etsi tales, unde sibi plus Quietis & Commoditatis attrahere posset, ob stare patiebatur, quò minus expetenti cuique salutarem Scientiam suam impenderet. In eà diversissimis ægrotantium Generibus efficaciter applicandâ tam circumspectus & ingeniosus erat, ut simul alienæ Valetudini, simul Conscientiæ suæ consuleret. Unam Circumstantiam toti laborantis Statui novam excitare Formam, Experienciâ doctus Magistrâ, Vices omnes sollicitò speculabatur Studiò, mutatisque Consilium accommodabat mutatum. Pertinacibus Morbis pertinaciores Curas opponere solitus, necessariam Medelæ Tarditatem optatiore compensabat Effectu. Succurrentis neque Celeritas Periculis, nec Humanitas Doloribus, neque Facilitas Desideriis [quorum Condicio vel Sublevamentum, vel Oblectamentum, non Detrimentum suggererat] deerat. Ita sæpius & Animorum & Corporum Medicus, omnes Meritorum Partes implebat, quæ possunt ab exercitissimis providentissimisque Sanitatis Autoribus expectari. Quò Nomine, cum amabilis, tum etiam venerabilis Civitati Provinciæque potissimum Vratislaviensi, supremis annumerabatur inter sui Temporis Æsculapios.

Quicquid Honorum & præmeritis & consecutus erat, non permittebat Indolem corrumpi modestissimam: quam omnibus Vitæ Gradibus sic confirmaverat, ut sibi nunquam non consimilis, parem ubique monstaret Indolis Speciem, Humanitate conspicuam. Accedebat huic Virtutum Purpuræ niveus Animi Candor, rarissimus Sæculi nostri Color, quod, dum sincerum & justum videri, non esse, studet, [quale per miras Simulationis & Disimulationis Artes publico delicatiorum Populorum Genio placet] omnes in Vanitatem argutam Nervos dirigit, talesque suorum Temporum Magistros, & imprimis veneratur, & certatim æmulatur, qui blandis & astutis, sed inanibus noxiisque Modis, tantò felicius

Ingenia

Ingenia circumveniunt, & in Verborum Rerumque Laqueos inexplicabiles adigunt, quantò peritius, seu Ludibria, seu Damna, speciosis Bonorum Commodorumque Titulis obtegunt: quorum Frontes osculantur, eorum Terga feriunt, nec se prius Amicis Hostes, quam Victores monstrant. Ejusmodi cum Sodalium, tum Patronorum Scenicorum pertœsus, quorum se Conversationi subtrahere non poterat, Familiaritatem effugere didicerat: in quam & paucos & fidos recipiebat, plerosque pares: inter quos, ut major Fides, sic plenior Libertas, tutiorque Jucunditas.

In perpetuum Vitæ Solatium, Anno CHRISTI M. DC. LXX, decimò tertio Die Mensis Octobris, ad conjugalem Amicitiam sibi copulaverat exoptabilem Virginem ROSINAM: spectatissimis Parentibus, quorum Familias potissimum Vratislavia Nislaque clarissimis annumerat, Jeremia SCHOEPSIO, Rosinæque GERMERSHEIMERIA, progenitam. Hanc magis ob Animæ Dotes, quam ob Fortunæ Facultates, amabilem, non poterat non in Deliciis tantò firmius habere, quantò plus Pietatis, Castimoniæ, Mansuetudinis, Concordiæ, Prudentiæ, Charitatis alere, quotidianis è Documentis cognoscebat. Illa proinde cum familiaris Rei Negotiis justum in Modum defungeretur: ipse Curas nobiliores partim securior, partim expeditior sustinebat: in Consortium, sed & in Auxilium, Conjuge potitus. Neque carebat Effectu sanctus inter ipsos Amor: quem, etiam inter Ærumnas, quibus pii, seu frequentius, seu vehementius, exerceri solent, comitabatur perennis Felicitas, sequebatur constans Fœcunditas. Hanc ostenderunt quinque Filii, SAMUEL, PHILIPPUS JEREMIAS, HENRICUS, GOTHOFREDUS, PHILIPPUS: duæ Filia, SUSANNA primum, deinde CATHARINA. Sed, ut mœsta latis crebro miscere Thalamus amat, Funeribus acerbis, iisque pluribus Fortitudinem suam impendere jubebatur. Nam Anno M. DC. LXXVI, GOTHOFREDUM novem: Anno M. DC. LXXIII, SUSANNAM nondum quatuor: Anno M. DC. LXXVIII, PHILIPPUM nondum duobus Mensibus, superstites amisit: & iisdem Diebus, quibus susceperat, SAMUELEM Anno M. DC. LXVII: PHILIPPUM JEREMIAM, Anno M. DC. LXVIII, decedere videbat: itaque cum ipse caduca sempiternis permutavit, è progenitis non nisi duos, HENRICUM & CATHARINAM, in Nominis

G

Generis-



Generisque sui Stabilimentum Posteris reliquit, Paternæ simul & Maternæ Virtutis Imagines futuras.

Nimirum, quanquam Mortis, quam & in suis, & in aliis, sæpius instantem depulerat, nunquam expulerat præsentem, continuâ Meditatione satis per se memor erat: tamen etiam domesticis, hoc est, omnium efficacissimis Experimentis, [quorum Numerum, Anno M. DC. LXXIII, quinquagenaria Socrus: Anno M. DC. LXXXIII, septuagenarius Socer adauxerunt] frequenter admonebatur, in Ætate nullâ, Consiliis nullis, nullis Remediis exstingui posse, quod ipsos etiam Medicos tandem opprimit, Fatum. Id adeo non exhorrescebat, ut, quamvis nondum Senectutis Annos ingresus, nunquam deprecari sustineret. Unde, cum ad extremum in Corpore, quod gracilius & debilius Natura composuerat, Cura siccius & tenuius reddiderat, magis magisque Valetudinem frangi sentiret: sibi, non vanus Augur, imminere Diem supremum prænunciabat: Res suas, pro Temporis Statu, bene disponebat, & in æternæ Salutis Datorem totus ardentissimis Votis erectus, æquisimo placidissimoque Mentis Habitu, quicquid hæcenus, tanquam summum Christianæ Vitæ Scopum, & optaverat, & speraverat, assequi complectique gaudebat. Sicut autem non internum Animæ Robur à lentô Virium Excesu dissolvi patiebatur: ita ne poterat quidem ultimus Ægrimonix Conatus Vigorem in Membris omnem prostertere, quô ductus, tribus Mensibus adhuc Pedes Officium suum agere lætabatur: exceptis duobus inter postremos Diebus: per quos, se Jacentibus adjuncturus, jacebat. Tum quoque prorsus integrô Sensuum Usu, nec impeditâ vel Memorix, vel Lingvæ Potentiâ, singulare Fortitudinis cælestis Exemplum, crebro Pietatis Exercitio defunctus, Conjugi, Liberis, Amicis Nomen, DEO Spiritum suum committebat, & obdormiscebat, Annos XXXVII, Menses VII, Dies XXVI natus.

Sic Anni Christiani M. DC. LXXXII tertius Januarii Dies VOLGNADIO nostro, cum eriperet mortalem, immortalem affererebat Vitam. Sic cum eô decedebat exquisitissima Peritiæ literariæ Supellex, quam Ingenium penetrabile, Judicium acutum, Speculatio longa repererat & accumulaverat: etiam illa Secretorum Cognitio, quæ Scriptis duraturis tradi meruisset, & fuisset tradita, nisi

nisi multorum Medicorum Spem, plurimorumque Clinicorum Elevationem immaturus VOLGNADII Casus intercepisset. Superest, ut, post CATHARINAM duobus Mensibus ab optimi Patris Excesu Gaudiis supernis additam, solus è septem Liberis superstes HENRICUS, Indole bonus, capax Ingenio, Conatu strenuus Adolescens, in quô prima Literarum Morumque Fundamenta feliciter posita subinde conspectiores Accessiones recipiunt, non tantum Nominis, sed etiam Eruditionis & Honoris Hæres, Genitorem suum Posteritati reddat, Annis Meritisque, si non superiorem, certè parem HENRICUM VOLGNADIUM.

Jam quis VOLGNADIUM nostrum non beatissimis annumeret: quem Filius redivivum pollicetur: qui Testes Ævi bene transacti pulcherrimos, & intus, & foris, exhibet, Conscientiam puram DEO, MUNDO Famam bonam? Numquid Mortalium non omne Punctum is tulit, cui Mortalitem exuenti, cum ad Immortalitatem transfertur, accedit, ut DEO MUNDOque, dum hic doctos, ille pios æstimabit, charus; inter utrosque vivat, quô magis clarus, eô magis felix? Nemo Christianus satis cordatus, quantumcunque Fulgorem suum, etsi vel SIRIO, vel etiam PHOSPHORO parem in Terra possideat, præferre potest Nitoni, quem æternis Sæculorum Ætatibus SOLE majorem possidebunt repræsentaturi meliora SIDERA, splendidius COELUM.

## EPI T A P H I U M.

ACCEDE, VIATOR.  
TE NON POENITEBIT MORÆ,  
CUI GRATIAM DEBEBIS:  
ERUDITIOR AB ERUDITO,  
MELIOR A BONO  
RECESSURUS.

HUIC  
NON MORTUO MARMOR,  
SED MARMORI MORTUUS  
ORNAMENTUM  
HENRICUS VOLGNADIUS,  
VIR OPTIMUS.

quo



QUO MAJOR,  
 INTRA SÆCULUM PESSIMUM,  
 NEC INVENIRI, NEC COGITARI POTEST.  
 NON IN HOC ACQUIESCIS ENCOMIO,  
 QUANTUMVIS MAXIMO:  
 CUJUS SUMMA TE COGNOSCENDIS COETERIS  
 EO MAGIS FACIT INTENTUM?  
 ECCE,  
 QUO DEFUNCTUS EST,  
 ITINERIS RATIONEM.  
 Id,  
 CUM ANNI M. DC. XXXIIII. MENSIS QUINTUS  
 DIEM OCTAVUM TERRIS NOSTRIS DEDISSET,  
 APUD VRATISLAVIENSES INGRESSUS,  
 NE PATRIAM, NE FAMILIAM SUAM,  
 UTRAMQUE MULTIS NOMINIBUS CLARAM,  
 IN DECUS, QUOD IPSE NON AUGERET,  
 HABERET UNICUM:  
 INGENII PRÆCELLENTIS  
 AD VIRTUTEM ERUDITIONEMQUE RARAM  
 EGREGIOS DUCES,  
 INSIGNIBUS EXEMPLIS PRÆVIOS, OBVIOS PRÆCEPTIS,  
 UTILESQUE COMITES  
 NACTUS,  
 DIFFICULTATIBUS PRIMIS  
 NON DETERRITUS, SED INCITATUS,  
 AD ARCEM SCIENTIÆ FAMÆQUE SUBLIMEM  
 RECTA PROCESSIT.  
 QUICQUID GERMANIS, QUICQUID ITALIS  
 EXCELLENTISSIMIS,  
 POTISSIMUM  
 ILLIS IN LIPSIENSIVM, HIS IN PATAVINORUM  
 ACADEMIA  
 RETULIT ACCEPTUM,  
 SAPIENTER AGNITUM, PRUDENTER ADHIBITUM  
 ITA PROVEKIT,  
 UT AUCTAM  
 DOCTRINA SOLERTIAM, EXPERIENTIA DOCTRINAM  
 SUPERIORES ADMIRARENTUR VEHEMENTER,  
 DIFFICULTER ASSEQUERENTUR INFERIORES.

HO-

HORUM  
 SEU MAGNITUDINEM, SEU FIDEM,  
 SI TANTUM EX HONORIBUS ET TITULIS,  
 QUOS IMPETRAVERIT, ÆSTIMAS:  
 INDICIA VERITATIS VULGARIA  
 SECURIOR SEQUERIS:  
 QUÆ  
 VITIO SÆCULI GLORIOSI NOVISSIMO  
 SPECTATISSIMA  
 SIMPLICIORES INTERDUM IN ERROREM DUCUNT,  
 SAGACIORES NUNQUAM EXTRA DUBITATIONEM PONUNT.  
 IN ATHÆNEO LEUCOREO  
 SOLENNITER CREATUS  
 REVERA  
 MEDICINÆ DOCTOR INTELLIGENTISSIMUS,  
 QUANTUM PRÆSTITISSET, QUANTUM PRÆSTARE POSSET,  
 PROVIDENTISSIMIS CURIS, SCRIPTIS ACCURATISSIMIS  
 PUBLICO DEMONSTRAVIT:  
 HOMINIBUS LOCISQUE PLURIMIS,  
 NON TANTUM  
 VRATISLAVIÆ SUÆ,  
 QUAM CIVITATIBUS ALIIS,  
 QUAM CELSISSIMIS AULIS,  
 AD QUAS INVITABATUR,  
 CHARIOREM HABUIT:  
 NEQUE TANTUM  
 SILESIAE SUÆ,  
 QUAM UNIVERSAM NOBILITAVIT,  
 NATUS.  
 INTER ILLOS EMINENS,  
 PER QUOS  
 SACRUM IMPERIUM ROMANUM  
 A GERMANIS  
 INGENIOSAM EXTERORUM INDUSTRIAM,  
 SI NON SUPERARI, TAMEN ÆQUARI POSSE  
 DOCET,  
 IN  
 NATURÆ CURIOSORUM  
 ILLUSTRIS COLLEGIO,  
 H

CUJUS



CUIUS  
 EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM  
 COLLECTOREM EDITOREMQUE  
 PRINCIPEM,  
 IMMORTALIS MEMORIÆ VIRUM,  
 PHILIPPUM JACOBUM SACHSIUM,  
 PHOSPHORUM SPLENDIDISSIMUM,  
 AMICUS AMICO SUBSTITUTUS,  
 PARI JUDICIO CONATUQUE,  
 SPATIO SUCCESSUQUE MAJORI,  
 FELICITER ÆMULATUS,  
 IN COMMUNE BONUM  
 MATURANDIS  
 EXPERIMENTORUM INVENTORUMQUE SINGULARIUM  
 SALUBERRIMIS FRUCTIBUS,  
 IMPATIENTISSIMUS FRIGIDI,  
 PER OMNES ANNI TEMPESTATES,  
 ET DIES, ET NOCTES,  
 ARDENTISSIMUS SIRIUS,  
 NEMINI MOLESTUS,  
 AD EXTREMUM EO FULGORIS PROGRESSUS EST,  
 UT  
 NATALE SOLUM  
 INTERVALLIS INNUMERIS EGRESSUS,  
 INTRA POLITIORES EUROPE PROVINCIAS CONSPICUUS,  
 VIROS SUMMOS,  
 IN PRIMIS ARCHIATROS POLIATROSQUE  
 SIBI CONCILIARET,  
 QUIBUS  
 HONOREM AMABILIS, AMOREM HONORABILIS,  
 NATIVA MODESTIÆ GRATIA,  
 PROBAVIT.  
 ITA  
 FELICITATIS OBSCURÆ, QUA MULTI BEANTUR,  
 TRANSGRESSUS LIMITES,  
 PATRONIS TANTIS, TOT AMICIS  
 UNUM OMNIBUS PRÆPONEBAT  
 DEUM PROPITIUM,  
 CUI LARGITORI SERVATORIQUE

CON-

CONSCIENTIAM SANCTIMONIÆ STUDIOSSIMAM,  
 ET, QUANTUM IN HOMINIS ABSTINENTIAM  
 CONTINENTIAMQUE CADIT,  
 NULLIS MUNDI VANITATIBUS, IRRITAMENTIS, FALLACIIS TEMERATAM,  
 CONSECRABAT,  
 PURIOREM, CLARIOREM, SOLIDOREM  
 AURO MEMORABILI,  
 QUO  
 LITERIS EARUMQUE CULTORIBUS  
 INDULGENTISSIMUS CÆSAR  
 LEOPOLDUS MAGNUS,  
 IN JUSTISSIMI PRÆMII DOCUMENTUM,  
 CIVIS ERUDITISSIMI  
 PECULIAREM DILIGENTIAM, DOTESQUE NOBILES  
 HONORANDAS CENSUIT.  
 DEFICIENTIBUS NATURÆ VIRIBUS,  
 QUAM, PER SE GRACILEM, ALIIS SERVIENDO, FREGERAT,  
 ÆGRIMONIA POSTREMA SUPPRESSIS,  
 HONESTISSIMAM FOEMINAM  
 ROSINAM SCHOEPSIAM,  
 IN DOMESTICUM SOLATIUM,  
 EXOPTATISSIMAM CONJUGEM,  
 PIGNORUM  
 QUINQUE DUDUM MORTUORUM,  
 DUORUM ADHUC SUPERSTITUM,  
 HENRICI ET CATHARINÆ  
 MATREM,  
 TRISTISSIMAM VIDUAM  
 RELINQUENS,  
 AD COELESTIA  
 SEMPER ERECTO SPIRITU,  
 CONSUMTIS  
 ANNIS XXXXVII. MENSIBUS VII. DIEBUS XXVI.  
 FATO PLACIDISSIMO  
 TRANSIT,  
 ANNI CHRISTIANI M. DC. LXXXII  
 DIEM TERTIUM, HORAM UNDECIMAM MATUTINAM, EANDEM



EANDEM  
 OLIM MORTALITATIS MISERÆ,  
 TANDEM IMMORTALITATIS BEATÆ  
 PRINCIPIUM CONSEUTUS.  
 TU,  
 QUI LEGIS HÆC,  
 SI NIHIL ALIUD EX JACENTIS REBUS  
 VEL CUPIS, VEL POTES  
 IMITARI:  
 SAPIENTIAM IMITARE.  
 NON VALES, ETIAMSI VELIS?  
 SI VELIS, OMNINO VALES.  
 IMITARE PIETATEM,  
 NAM  
 QUISQUE  
 TANTUM SAPIENTIÆ,  
 QUANTUM PIETATIS  
 POSSIDET.  
 AMICO DESIDERATISSIMO,  
 STUDIORUM ET VIRTUTUM,  
 QUIBUS OMNEM VITAM IMPENDIT,  
 CONSCIUS,  
 TESTIS CANDIDUS,  
 AMATOR PERPETUUS,  
 HOC QUALECUNQUE MONUMENTUM,  
 INGENUUS  
 VANITATIS COMMUNIS,  
 ÆTERNITATIS UTRIUSQUE  
 SPECULATOR,  
 MOESTUS POSUIT  
 MARTINUS HANKIUS.



ORATIO FVNEBRIS  
 CLARISSIMO MERITISSIMOQVE  
 VIRO,  
**CHRISTOPHORO  
 CELLARIO,**  
 ELOQVENTIAE ET ANTIQVITATVM  
 IN REGIA FRIDERICIANA  
 DESIDERATISSIMO  
 PROFESSORI,  
 A. D. IV. IDVS IVNIAS cId Id ccVII  
 DECERNENTE AMPLISSIMO  
 ACADEMIAE SENATV  
 PVBLICE DICTA  
 AB  
**ANDREA IVLIO DORNMEIER,**  
 PHIL. ORD. ADIVNCTO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
 LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.